UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Commentariorvm, Ac Dispvtationvm In Primam Partem Sancti Thomæ Tomvs ...

Complectens Quæstiones à XXVII. vsque ad LXIV. & à Quæstione CVI. vsque ad CXIV.

Vázquez, Gabriel

Antverpiæ, 1620

Primum Angeli peccatum fuisse superbiam, vera, & communis Patrum & Scholasticorum opinio fert. c. 2.

urn:nbn:de:hbz:466:1-81000

Visual Library

CAPVT III.

Primum Angeli peccatum fuisse superbiam vera & communis patrum & Scholasticorum opinio fert.

TErtia demum sententia communis, & vera est, Angelum primo peccasse peccato superbiæ: quale autem illud fuerit, hoc est, circa quod genus excellentiæ fuerit, in sequentibus disputationibus ostendemus. Hanc opinionem ex Scholasticis grauissimi imprimis & doctissimi Theologi tradiderunt, *Albertus in summa 2. parte tractatu 5. quæst. 21. memb. 2. Antisiodorensis lib. 2. summæ tractatu 2. cap. 2. S. Thom. artic. præced.* & colligitur ex doctrina huius articuli, quem sequuntur Caiet. & recentiores Thomistæ, & consentit *Alexand. 2. p. q. 98. memb. 2.* vbi plane docet, primum peccatum fuisse superbiam, quæ speciale peccatum constituit. Cum vero ait, radicem fuisse cupiditatem, & auaritiam, non intelligit peccatum speciale auaritiæ, quod est in pecunijs, & rebus spiritualibus: sed cupiditatem generaliter acceptam pro inordinato amore, qui reuera non fuit radix vt causa, sed quia in ipso peccato superbiæ continebatur inclusus: eandem tradiderat antea *Magister in 2. d. 6. cap. 2.* quem postea sequuti sunt eius commentatores, *Bonauentura in 2. d. 6. art. 1. q. 1. Aegidius quæst. 1. artic 3.* in corpore, vbi loquitur de Lucifero, & in dubio litterali, vbi de alijs sermonem habet, *Ricardus artic. 1. quæst. 1.* vbi loquitur de Lucifero, & quæst. 2. vbi de alijs Angelis sermonem facit. Idem colligitur ex doctrina *Durandi q. 1. artic. 2.* cum asserit, dæmonem peccasse appetitu immoderato beatitudinis. Idem sentit Thomas de Argentina *in 2. dist. 6. quæst 5. artic. 2.* atque alij Scholastici, quos sequenti disput. referemus qui asserunt, dæmonem peccasse inuidia hominum, quod peccatum sine superbia nunquam est.

Alexand. Antisiod. S. Thom. Caietan. Alexand. Magister. Bonauent. Aegidius. Ricard.

Argent. Henric.

13.

Ex Patribus vero tam Græcis, quam Latinis, in hoc vnum omnes conueniunt. Ex Græcis quidem, præter eos, quos sequenti cap. allegabimus in expositione quorundam locorum Scripturæ, sunt *Athanas. in libr. quæst. ad Antiochum q. 6. Nazian. in carmine 6. & in orat. 27.* quæ est *contra eos, qui dicebant ipsum cathedram Constantinopolitanam affectare: Elias Cretens. in oratione 3. Nazianz. quæ est Apologetica contra Iulianum in illa verba. Quocirca, &c. Chysostomus in Homilia de verbis Isaiæ, & Homilia de Adam, & Eua, & hom. de lapsu primi hominis in primo tom. & hom. 15. in Ioan. in 3. tom. Cyrill. lib. 1. in Genesim post medium, & 14. Isaiæ Damasc. 2. de fide cap. 4.* ex patribus vero Latinis *Ambros. in illud* Psal. 118. *Increpasti superbos, & Epistola 84. August. lib. 11. de Genesi ad litteram ca. 14. & lib. 12. de ciuit. cap. 1. & lib. 14. cap. 11. & lib. 22. ca. 1. Prosper in libr. 1. de vita contemplatiua capit. 3. Gregor. 4. moral. capit. 17. aliàs 14. & lib. 3. cap. 19. aliàs 23. Isidor. lib. 1. de summo bono cap. 22. sententia Beda in 8. tom. lib. q. q. 9. Anselm. lib. de casu diaboli cap. 4. Bernard serm. 17. in cantica:* & indicat *Leo lib. in Epistola 91. cap. 6.* cum ait, diabolũ fuisse affectum à se malum, quia proprtia excellentia male vsus est. Quorum omnium Patrum, & Scholasticorum auctoritas mihi magni est in hac præsertim quæstione, quæ de facto ipso controuertitur.

Athanas. 14. *Nazianz. Elias Cretẽ Chrysost.*

Cyrill. Damasc. Ambros. August. Prosper. Gregor. Isidor. Beda. Anselmus. Bernard. Leo.

15.

Et quamuis plura adduci soleant à Scholasticis Scripturæ testimonia ad hanc sententiam comprobandam, quæ sequenti capite nobis examinanda sunt; placuit tamen in hoc capite vno solum testimonio, & vnica ratione eam confirmare. Testimonium est Tobiæ 5. vbi Tobias dixit filio suo, *Superbiam nunquam in tuo sensu, aut in tuo verbo dominari permittas: in ipsa enim initium sumsit omnis perditio.* Vbi initium omnis peccati quod in hoc mundo commissum est, dixit esse superbiam. Atqui ante omne aliud peccatum fuit superbia Angeli: ex quo etiam factum est, vt primus homo tentatus ab ipso dæmone laberetur. Et quamuis aliquis posset hæc verba solum referre ad peccata hominum, quorum primum superbia fuit: commodius tamen ad omne peccatum: etiam Angelum refertur, cum absolute dicat Scriptura, initium omnis perditionis fuisse superbiam. Vnica autem ratio nobis sufficiat desumpta *Damasc. 2. de fide cap. 3. post medium*, vbi ait, Angelos ad malum natura sua ægre moueri posse. Dixit ægre, quia carent repugnantia illa partis inferioris, quæ ad malum & contrarium rectæ rationi inclinat. Idem atque eisdem vere verbis docuit *Elias Cretensis in oratione 3. Nazianzeni, quæ est prima Apologia contra Iulianum*, in illa verba. *Ad hoc quomodo.* Quod cum ita sit, ad nullum peccatum minori cum difficultate videtur moueri posse angelum, quam ad superbiam, & propriæ excellentiæ appetitum. Nam quamuis in Angelo possint esse alia peccata, præter peccatum superbiæ, & inuidiæ, vt supra articulo 2. notauimus; tamen non tam facilè ad illa mouetur Angelus, quàm ad superbiam, & consequenter ad inuidiam: quod enim possit Angelus hominem cædere, aut occidendo, aut rem illius, perdendo, prouenit ex odio erga illum: odio autem contra hominem difficulter admodum moueretur dæmon in primo peccato, nisi ea ratione, qua hominem sibi contrarium apprehenderet: ei autem contrarius homo non videretur, nisi honori, & excellentiæ eius aliquatenus aduersaretur: eadem ratione nec Angelus contra Deum odium conciperet, nisi in honori ipsum Deum aliquo modo contrariũ apprehenderet. Nulla igitur culpa, & peccatum in Angelo fuisset, nisi nimio desiderio suæ dignitatis & excellentiæ teneretur.

CAPVT IV.

Expenduntur quædam testimonia Scripturæ pro eadem sententia.

SVnt alia non pauca Scripturæ testimonia, quibus Scolastici vtuntur in huius opinionis confirmatione, quæ altius examinare necesse duxi. Primum est Lucæ 10. *Videbam Satanam sicut fulgur de cœlo cadentem*, quæ verba videtur dixisse Christus ad reprimendam elationem discipulorum, vt exponit *Gregorius 23. moral. capit. 7.* cum reuerterentur gaudentes, quod viderent se expulisse dæmones in nomine Christi. Alium tamen esse sensum illius loci probaui sup. disp. 225. c. 2. Secundum testimonium sit illud Iob 41. in fine. *Omne sublime videt, ipse est Rex super omnes filios superbiæ*, quæ verba aliqui interpretantur de dæmone, quasi ipse sit princeps eorum omnium, qui superbi sunt. Verùm hic locus ad litteram de Behemoth certe grandi intelligitur, de quo præcedenti capite sermonem fecerat. De hoc autem inquit, *quis factus est, vt nullum timeret, omne sublime videt, hic est,*